

46


F. H. 44.

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

III A 146.

SIGNAT. CLIDCCCXIII.





ODÆ
LYRICÆ IN
ALIQVOT DA-
uidis Psalmos:

SCRIPTAE AB
HENNINGO CVNRA-
dino Gambriiio.

Vitebergæ excudebat Jo-
hannes Crato.

ANNO M. D. LXVII.

IOHANNES HOLMAN
NVS SECVNDVS.

Τὰς ᾠδὰς Δαβὶδ ἑρμηνεύσαντες ἔγραψαν
Πολλοὶ, ἀνθρώποις χρήσιμα, Φίλα Θεῶ.
Μῦσαι δὲ ὡς Ἐννιγγελεῶν ἴδε γεῦσιν, ἔλεξε,
Καὶ σὸν Σαξονικὴν χθῶν Βυκανῶνον ἔχεις.

AMPLISSIMO VIRO, VIRTUTE, SAPI-

ENTIA ET ERUDITIONE PRAE-
stanti D. P E T R O C H I R S E R O LL. Li-
centiato, & Reipub. Stadianæ Consuli Primario,
Domino suo plurimum colendo, S. D.

H. CVNRADINVS.

Semper inde ab annis usq; pueritiæ meæ,
Amplissime Vir, amaui, & in precio habui
eos, quos singulari ingenio & natura ad con-
dendum carmen præditos, viderem, facultatem
eam, quam haberent, ad res sacras tractandas
conuertisse: quod inter multos Italos non infeli-
citer natos, solum ferè Vidam & Flaminium fe-
cisse constat: Plures verò Germanos, inter quos
Eobanus Hessus, & Stigelius emicuêrunt, qui
Deo Opt. Max. ingenij sui monumenta religio-
sè consecrarunt. Quam nostrorum hominum
laudem sancto suo proposito ita ampliauit ami-
cus noster D. Ioh. Maior, vt nihil accedere ad eam
posse amplius videatur. Nec amoris id nostro me
dare nouerunt ij, qui quotidie cum admiratione
opera ipsius legunt, & indies plura expectant.
Cum autem ipse non abhorream à tali studio,
suasores mihi sæpe fuerunt Reuerendi & Claris-
simi viri, M. Henricus Mollerus, & D. Iohannes
Holmannus, vt in sacris etiam aliquid tenta-
A ij rem,

P R Æ F A T I O.

rem, quò & Deo labor meus gratior esset, & magis ad pietatem, illarum rerum cogitatione, accenderer: periculum feci in aliquot Psalmis Dauidicis, & carminum genera sumsi Horatio vsurpata, & ita me ad pia studia adhortantibus parui. Existimo verò, quod tantis Autoribus à me factum est, & alios candidè interpretaturos. Vfus etiã sum in sententijs inquirendis eorum opera, cum fontes Hebræi ipsis sint notissimi, quorum limpidissimæ aquæ partem mihi communicarunt. Tibi autem, Amplissime vir, propter multa tua in me merita, & beneuoli animi studium, hoc quicquid est, inscribere placuit. Cum etiã vnicus ferè in his regionibus studiorum sis Meccenas, non ab re visum fuit, literarium hoc munusculum Tuæ Amplit. offerre, quod vt pro solita tua humanitate benignè accipias etiã atq; etiã rogo. Vale feliciter. Stadæ, Idib. Octobr. Anno M. D. L X V I I.

ODE

LYRICÆ.
ODE PRIMA.

In Psalmum I.

FELICITAS VITAE HUMANAE.

O *Q*uem dia beat gratia sic virum:
Leuæ propositum mentis vt impium
Auersans animo, non scelerum via
Insistat facilis, nec cathedram premat,
Turpantis maculis cuncta, Calumnia.

At cui sola animi cura, quies, amor,
Verbi vim penitus noscere cœlici,
Vt, quæ non varia prendier arte, vel
Natura poterunt, edita maximus
Interpres patrio quæ tulit è sinu,
Horum sensa sacris fontibus hauriat;
Noctes atq; dies cogitet, vt sua
Diuinis monitis pectora temperet.

Vt palma in viridi consita margine
Decurrentis aquæ, luxuriat comis,
Prouentumq; stato tempore, proferens.
Semper stat folijs leta virentibus,
Luctaturq; oneri cedere nescia,
Vincitq; aërijs nubila frondibus:

Floret grata Deo sic Pietas viri,
Cuius vita homini profluit integra,

A ij

Inue-

ODÆ

Inuenit medijs quiq₃ viam malis,
Lætum perueniunt cœptaq₃ ad exitum,
Nec facti egregij fama tacebitur.

At dispar penitus, par sceleri tamen
Est fortuna malis: nam paleas velut
Per terram rapuit flatus inutiles,
Et versans rapido turbine nunc rotat,
Passim nunc vacuo disijcit aëre:

Sic vindex Dominus precipites agens,
Pœnas ad meritas abripit impios,
Nec fama est propero funere longior.

Ergò cum medio constiterit polo,
Iudex ipse Dei Natus, & vndiq₃
Maiestatis honor fulserit aureus:
Hos vultus radios haud feret impius,
Culpam sed comitans ora teget pudor:
Quemq₃ olim placidum temserat hic Deum,
Iustum nunc trepidat pectore conscio:
Cum nec concilijs mistus erit pijs,
At cernet Superùm letitiam dolens.

Scit mores Dominus, factaq₃ amat pijs:
Infelix sed enim vita fuit mali,
Damnatus studijs qui perijt suis.

ODE

LYRICA.

ODE II.

In Psalmum II.

STATVS REGNI MESSIAE.

Quis hic tumultus? quæ frementium minæ?
Quid irritis incassum agunt conatibus?
Animis furit plebs ima, stant summi simul
Reges, ducesq; & consili captant modos,
Pulsiq; furijs agmen attrahunt ferum,
Ictoque coniurant in vnum foedere,
In te Parens supreme, & vinctum Filium:
Dictis & audent te superbè incescere:
Turbare quid cessamus hunc è sedibus,
Qui vinculis arcere nos studet nouis?
Quantum licet rumpamus ista vincula,
Seruumq; subtrahamus huic collum iugo.

Cæli sed arcem qui colit celsam Deus,
Ridebit iras, futilesq; machinas,
Grauesq; fastus, fulmina, & vultus truces,
Ludensq; spectabit furentium minas.

ODÆ

Tandem ipse concitatus irarum graui
 Feretur æstu, & animus inflammabitur
 Furore iusto, tum inscios reddens sui,
 Hos intonabit graui ter ardescens sonos:
 Hunc ipse creo Regem nouum, reges super
 Omnes, Sionis monte qui sancto regat,
 Sceptriq; iura do noui, qui perferat
 Decreta mea, lateq; regnum proferat,
 Tum maximus me voce compellans Pater,
 Tu Filius, quem gigno ab æterno, meus
 Es, dixit, ac supplex mihi, quia postulas,
 En largior, quod postulas: iam nunc eris
 Heres ubiq; quotquot vnquam gentium,
 Sint stirpe vel Semi, vel ortæ Iapeti:
 Tu iure possidebis, Et nutu reges,
 Sol magnus oriens quicquid ambit & cadens,
 Terræq; fines subiugabis vltimæ.
 Sceptro potens coges superbos ferreo,
 Si qui iugum ceruice detrectant tuum.
 Tu colla turgidis anhelæ flaribus,
 Vimq; hostium franges, vt ollam fictilem,
 Cuius iacent dispersa passim fragmina.
 Vos ergo, vos præclara terre lumina,
 Audite reges, iura qui solio datis
 Populis ab alto: discite, amplexi nouum
 Morem sacrorum, cultibusq; assuescite,

Serua-

LYRICÆ.

Seruare quos Deus, haud superstio iubet.
Seruite submissis Deo vos cordibus,
Nouis & exultate læti nuncijs,
Non efferi, tantoq; securi bono,
Sed ad Dei nutum trementes maximi,
Datiq; verbi sancta iura agnoscite.
Agite obuios venite in amplexus citi,
Date osculum desideratum Filio,
Puriq; amore cordis amplexamini,
Qui vos amore flagrat ardentissimo:
Ne percitus, vos perdat ingratos, via
Qui regia salutis vltro absistitis.
Vbi enim flagrans vt ignis erumpit furor,
Repentè circum & omnia absomit vorans:
Felix Patris qui lenitate nititur,
Sperans & acquiescit in Natum Fide.

ODE III.

In Psalmum XV.

VIR BONVS.

Tecum quis oro Reçtor Olympice
Stellantis arceis incolet ætheris?
Quis monte sancto, quis beatis
Post obitum requiescet aruis?

A V

Qui

ODÆ

Qui mente pura vixerit, & pia,
Non impotenti corde agitans scelus,

Recti tenax, sanctæq; custos

Iusticiæ, scelerumq; vindex.

Qui fraudulentos odit vt aspidem,

Et seruat ori consona pectora,

Parcensq; linguæ, ac fame amici,

Morsibus abstinuit cruentis.

Qui vult sibi ipsi sic vt & alteri,

Iniuriosè qui neq; dat malum,

Stultè nec indulsit proteruis

Litibus, aut odio superbo.

Qui præpotentùm concilia improba

Moresq; vitat prouidus, at colit

Deum colentes, & piorum

Ipse pius studia emulatur.

Qui mente iurans decipit haud sono,

Iactura rerum cui minor est fide:

Pecuniam qui dans egeno

Non peperit sibi lucra lucris.

Qui nulla captat munera, qui suo

Commune tandem præposuit bonum:

Hosti fidem nec vendit vnquam,

Iuræq; non precio refixit.

Res hisce nostræ stant benè moribus

Fructusq; tales fert Fidei bona

Floren-

LYRICÆ.

*Florentis arbor, quæ ruentis
Impete non superatur orbis.*

ODE IIII.

In Psalmum XXIII.

CURA DEI IN CONSERVATIONE
nostri generis.

EST Pastor ipse prouidens mei Deus,
 Qui candidi sui gregis,
Verbo sonante quem per orbem colligit,
 Vult esse me quoq₃ ouiculam.
Quid ergò deerit? ergo edaces pectorum
 Cura³ facessant hinc procul,
Sub nocte, quæ sub aureis laquearibus
 Circumuolantes lectulos,
Nigrantibus pennis, negant mortalium
 Dulcem quietem corpori.
Hic Pastor agnis prospicit bonus suis,
 Ad amœna ducens pascua,
Vbi viret tellus amicta gramine,
 Pictisq₃ spirat floribus,
Vbi salubris aura mulcet athera,
 Ridetq₃ ver semper recens:
Aquis rigat fons prata limpidissimis,
 Nec ora tantum frigerat,

Pectus

O D Æ

Pectus sed ægrum vix trahens iam spiritum,
Viuo liquore retreat.

Dux agminis sui ipse Natus est Dei,
Qui ducit & veram docet,

Per se salutis restituta semitam,
Sacrosq; corda Spiritu

Reficit, nouatq;, vt nominis sanctissimi
Hinc amplietur gloria.

Ac si per infestos foret saltus iter,
Vallesq; densas vepribus,

Qua dira mors armata telis excubat,
Vmbraeq; terrent horrida:

Tamen haud Aernales pauens Erinnyas
Loco pedem retraxero,

Præsente te D E V S, tuo qui robore
Fulcis, & excutis metus.

Virga coherces deuium: at lassum via
Tuo bacillo subleuas.

Quin & mihi mensam parasti splendidam,
Qua corpus hoc regalibus

Epulis fones, vt liuor hæc spectans malus,
Se macerando concoquat.

Caputq; nardo tingis, atq; nectare,
Spumans mihi das poculum.

Sic me sequatur alma semper Gratia,
Feraxq; rerum Faustitas,

Adsitq;

LYRICÆ.

Adsitq̄ Patris cura iuxta maximi,
Quem laude tollam debita:
Cui, pronus aduolutus aræ, seruiam,
Dum lucis hos condo dies.

ODE V.

In Psalmum XC.

DE FRAGILITATE ET MISERIIS VI-
TAE HVMANAE.

Immensa, Genitor summe, potentia,
O & praesidium, & dulce hominum decus,
Te coram hanc liceat tangere barbiton,
Nos qui cura sumus tua.

Tu spes, tu columen, nostraq̄ tu salus,
Qui caelo positus sideribus prior,
Et tangente iugis nubila Pelio:

Cum nondum triplicis stetit
Ingens orbis opus, quod fuerat nihil,
Et pendens gemino machina cardine:
Solus principio & sine carens Deus,
A quo conditus est homo,

Caelestemq̄ animi traxit originem.

Ab quàm parua mora est, quae modò splenduit
Autorem referens lux animi, statim

Culpa sorduit oblita.

Hinc

O D Æ

Hinc campi steriles, lappaq₃ inutilis,
 Ac morbi subeunt, & labor improbus,
 Admissiq₃ dehinc mors precium manet
 Illetabile criminis.

Nascentes morimur, mors ab origine
 Instans vrget: & hos emeritas sui
 Tumbis exuias ponere corporis:
 Hos prodire sub aethera,

Vitaq₃ frui luce iubet Deus,
 Dum visum sibi, nec pollice stamina
 Abiumpit Lachesis, fata nec ad nigrã
 Implacata vocant Styga.

Nos, quæ longa decem secula dicimus,
 O eterne Deus (non posita est enim
 Aevi te cohibens meta volubilis)
 Vix hæc lucis erunt tibi

Hesterne mora, vel præterite modò
 Vix horæ spacium, qua patrijs vigil
 Effulgens clypeis, mœnibus excubat,
 Exercetq₃ phalanx vices.

Muscofo vitreus quàm citò fons cadit
 Ex antro, vel agris lilia si modò
 Surgant, purpureæ siue comam rose
 Ortum ad luminis explicent:

Mox, cum Solis equis, languidulae occidunt,
 Amittuntq₃ decus: Tàm citò flos cadens

Humã-

LYRICÆ.

Humani generis marcet, & inclytum
Cum vita decus exiit.

Aetas instar aquæ scilicet effluit,
Vel, cum torpidulus mēbra ligat sopor,
Si mane effugiant somnia labili
Elabentia pectore.

Nostrū, est causa, nefas, iusta quod vrget, ac
Feruens ira Dei, qua magis vrimur,
A Phœbi radijs quàm rosa flammeis,
Cum cœli medium tenet.

Hic nostri latebras pectoris intimas
Inquirit penitus, quod simul aspicit
Immersum vitijs, deficimus simul,
Et mors ingeminat metum.

Tunc anni celeres non remorantibus
Frenis præcipitant, nec citius volant
Emissi ore soni, tam bona nec redit,
Quàm quæ lapsa fuit dies.

Nil vsquam stabile est, res hominum tremunt
Momentis subitis: tela velut leuis,
Exili pede quam neuit aranea,
Altis sub laquearibus.

Qui septem geminans lustra fuit super,
Est vitæ positum iam prope terminum,
Si perstat valido robore, adhuc duo
Addas lustra: quid amplius?

Quicquid

ODÆ

Quicquid tota fuit vita, fuit labor,
Et duri subeunt tædia temporis,
Improuisaq; adest deniq; mors, facem
Quassans funeream manu.
Vltorem at superum quis satis extimet?
Iraeq; horribilis terrificas minas?
Quæ tantum exuperet, si velit, vt parem
Nemo concipiat metum.
Ergo da memores voluere temporis
Angusti spacium, qui metui Deus
Vis, & ritè coli, Nosq; hodie doce,
Cras rectè vt liceat mori.
Tandem & nos placido lumine respice,
O clemens Genitor, iam miseri satis
Exhausti sumus, & corda petunt opem
Iusto territa vindice.
Per, quæ cara tibi est, & Pater vnica,
Quæ nostro generi desuper è sinu
Est demissa tuo, victima pro gregis
Vt fœda caderet lue,
Oramus Sobolem, parce precantibus:
Quam vires nequeunt ferre hominum, tuus
Iram hanc sustinuit Filius, & Patrem
Offensum prece mitigat:
Accensa hunc alacres accipimus Fide,
Sperantes veniam, quam pater annuis:

Per-

LYRICÆ.

Perfunditq̄, nouo pectora gaudis,
Almi gratia Spiritus,
Abstergens lacrymas, claraq̄, lux redit
Depulsis nebulis: Aura sed ô fauens
Cœli & dulcis amor, desuper hæc tuo
Lustres pectora lumine.
Te sancte iusinuans, tu prohibe nefas,
Vite hæc acta regens. Sic tua maximam,
Cum laus implet humum, te quoq̄, da mihi
Hac castè cithara cani.

ODE VI.

In Psalmum CXXI.

DE PRÆSENTIA DEI IN PERICV-
lis, & rerum humanarum gu-
bernatione.

Oculos leuabam ad alta montium iuga,
Malis opem quærens meis:
Nusquam sed est oblata spes opis mihi,
Nisi à parente maximo,
Qui protulit faces coruscas syderum,
Alto micantes æthere,
Qui fructuosæ condidit terræ solum
Vndasq̄, cœuli maris.

B

O so-

O D Æ

O sola spes rerum, tui presentia
Qui corda firmas Numinis,
Fulcisq; plantas debiles, ne lubrica
Errans queam labi via.
O fide custos, victa nunquam vel leui
Qui das sopori lumina:
Nedum, mei securus, altum dormiens
Capias quietem pectore.
Quas sancte iam grates agam? qui protegor
Tuae sub umbra dextera,
Sub Sirione Solis ignei calor
Aestu mihi officiat graui:
Ne ledat, horis Luna nocturnis means,
Nocentiori frigore.
Vbitunq; ago locorum, agis Deus mei,
Præsens agis custodiam:
Adesq; præsto, vt actiones prospero
Meas secundes omine,
Post fata tandem vt mollia inferas choris
Animam hanc beatis cœlitum,
Vbi cum pijs dulci fruens consortio,
Optata condam secula.

Ode

LYRICÆ.

ODE VII.

In Psalmum CXXVII.

DE DIVINA RERVM HVMANARVM
gubernatione.

Nisi adsit ipse, & prouideat Deus
Domû tuendæ, frustra operi manum
Intentus addes, & recedet
In vacuas labor omnis auras.

Nisi adsit ipse, & præsideat Deus
Urbi regendæ, frustra animo sapis,
Vanîq₃ custodes in armis
Excubias agitant coruscis.

Nil ante solis lumina surgere,
Nil post cadentem profuit Hesperum
Instare cœptis, improboq₃
Attenuare labore corpus:

Præsens fauenti Numine ni DEVS
Opus secundet: sola relabitur
Felicitas cœlo, ac egenæ

Mittit opes, segetemq₃ terræ,
Hic cura torquens, & sterili fames
Tellure regnant, est dolor & labor

Quicquid datum est æui, dapesq₃
Anxietas, gemitusq₃ miscent.

B ij CURAS

ODÆ

Curas edaces cordibus excute,
 Vacat Deo mens libera rectius,
 Qui filijs caris, pijsq;
 Compositos riguum per artus
 Fundit soporem, mite laboribus
 Actis leuamen: mitigat aspera,
 Beansq; successu, nitenteis
 Ire facit, sine nube, Soles.
 En cara lecti pignora, filios,
 Fulcrum Senectæ, spem generis pij,
 Decus parentum, cuiq; florem,
 En Sobolem, precium pudoris
 Prædulce matri: propria scilicet
 Dij fauoris signa, nec ocium,
 Nec pax vbi, nutrix bonorum,
 Urbibus exulat inquietis.
 Quales, peracris cum valida viri
 Torquentur arcus cornua, dextera,
 Neruo repulse cum sonore
 Aëra peruolitant sagittæ:
 Talis inuenta vis animi calens,
 Certum exerentis robur in hostium
 Densos globos, stantisq; fido
 Agmine, proq; focis & aris.
 Felix sonantem qui Pharetram gerit
 Istis sagittis: haud animos pavor

Huic

LYRICÆ.

Huic sternet aut liuor virileis,
Franget at arma inimica victor.

ODE VIII.

In Psalmum CXXVIII.

DE LAVDIBVS CONIUGII.

EVge sic felix agat, euge felix:
Qui Deum sanctè coluit, timetq̃
Transgredi legem, peragitq̃ castis
Moribus æuum.

Nec verecundo positam pudori
Transilit metam, cohibens sed ignes
Pectoris, lecto proprios iugali
Seruat honores.

Hic p̃ij compos erit vsq̃ voti,
Non egestatis metuens, nec auro
Pallidus fuluo, nec opum malignè
Spectat aceruos.

Vrget at iussos vigilans labores,
Viuat & parto, mediocritatem
Auream seruans, animiq̃ curas
Discutit atras.

B

ij

Dulcis

ODÆ

Dulcis ad fidum latus heret vxor,
Heret vt vitis generosa in vlmo,
Flexilis, tectiq₃ latus feraci
Palmite cingens.

Certa cui proles epulas coronans
Crescit, vt proles oleæ comantis,
Membra quæ succo iuuat, & reuincit
Tempora ramis.

Ecce sic sentit placidi fauorem
Numinis, donec retinens timorem
Numinis, casta prece feruet intus,
Et face casta.

Omnia electæ Deus est Sioni
Pax, salus, splendor, Solymæq₃ genti
Missa de cælo bona, gestienti
Pectore cernes.

Ibit optato tibi vita cursu,
Et seni alludent hilari nepotes,
Seq₃ sub sancta, domus Israëlis,
Pace tenebit.

Ode

LYRICÆ.
ODE IX.

In Psalmum CXXXVII.

QVERELA EXVLANTIS ECCLESIAE.

DVm procul dulci patria vagantes,
Hic ad Euphratis residemus amnē,
Qui peregrinae Babylonis altas,
Præterit arceis,

Heu subin cara memores Sionis,
Qua Deum sueti celebrare nostrum,
Flemus, & pleno lacrymæ vehuntur
Fluminis alueo.

Quò Sion cessit decus illud? & nos
Vidimus reges, populumq; fortem,
Vidimus victo retulisse claros
Hoste triumphos.

Versa nunc rerum facies, tenetq;
Barbarus vinc̄tos, simul hausit urbem,
Matribus prolem viduans, suoq;
Coniuge matres.

Gaudijs tristes subiēre luctus;
Iam fides muta, trepidiq; rerum,
Plectra sub lentis salicum ligamus
Aurea ramis.

O D Æ

At fera illudens habitator ora,
Non sinit vili requiesse in vlua,
Inter at luctus sibi festa promi
Gaudia poscit.

Hic quid ô tantum filet ociosa
Barbitos? quin hanc salicum leuantes
Fronibus, nostras quoq₃ ferte letum
Carmen ad aures.

Quales desertis soliti Sionis
Rupibus, vel quâ Solyme patescit,
Aut odoratam Libanus gerebat
Vertice Cedrum

Tanta ne cœcæ veniat libido
Exulum menti, Deus: at filesce
Dulcis Hebraeum modulate quondam
Barbite carmen.

Te Sion, vos & Solymæ relicta,
Hic inoblitis animis feremus,
Et tua hærebit facies sub imis
Fixa medullis.

Si fides dictis aberit, precamur,
Lingua supremo rigeat palato,
Detur & nunquam digitos canoris
Iungere neruis.

At

LYRICÆ.

At Deus vindex scelerum supreme
Sis Idumææ memor efferrata,
Vincit hæc duro scopulos, trucesq;
Pectore Tygres.

Hæc ferum dictis stimulabat hostem,
In nefas vrgens furiata corda:
Ignibus, ferro ruite, atq; captam
Eruite urbem.

Ne sed ô tantum Babylon superbi,
Instat à tergo Deus ultor, instat,
Persequens diro Nemesis reposcet
Sanguine pœnas.

Tunc ferens mater gremio puellos
Nescios fari: fugiet per ignes,
Hostibus virgo gemet, interemtum
Capta maritum.

Tunc quis ô vestro sceleri rependet?
Qui rudes natos trepido reuellens
E sinu, fracta ad rigidas cruentet
Corpora rupes.

ODÆ
PSALMVS XCI.

Qui habitat in adiutorio altissimi.
VERA CONSOLATIO IN PVBLICIS
calamitatibus.

*Ad Reuerendum Virum D. Oziam Cordum cum in
Saxonia pestis grassaretur.*

Spero equidem, neq₃ nostra leues hinc irrita venti
Vota ferunt, neq₃ spes omnis nos vana fefellit.
Abdita nam si quem penetralia Numinis alti
Secretis celant adytis, tutisq₃ morantem
Omnipotens fouet ipse suæ secessibus vmbra:
Ille animi fidens, securo pectore dicet:
Spes mea, præsidiumq₃ Deus, quo tutus in alta
Arce velut, turriq₃ moror, quo fretus in arctis
Obduro rebus: quia me fortissimè seruas
Hostis ab incurso, calamos tu frangis & arcus
Venantùm, positosq₃ mones euadere casses.
Quin lethale malum, quod & omnes respuit arteis,
Pestem immitem, informem, atram, mortalibus agris
Auertis clemens, & purgas àëris oras.
Tu me, sicut auis nudos super arbore fœtus,
Ipse foues plumis, & molliter amplexantes

Circum

LYRICÆ.

Circum ale cinxere, quibus contecta quiescunt
 Membra tuæ sobolis, qua nil tibi carius vsquam est.
 Namq; Deus, tua certa mihi promissa, fidesq;
 Sunt clypei, parmaq; loco, quibus induor armis,
 Ne metus, aut telis agitet me lingua bisulcis,
 Vt, cum sera nigris terras circumuolat alis,
 Horrorem incutiens, atra nox territat umbra:
 Néue graues, ferat insultans iniuria, clades,
 Vt, cum flammivomus medio volat æthere Titan,
 Emissæ volitant, neruo stridente, sagittæ.
 Ac cum dira lues, præsentî armata veneno,
 Per tenebras obit horrentes, noctemq; soporam,
 Liminaq; irrumpens secreta, quiete sepultos
 Occupat, & geldum fundit per corpora virus:
 Iamq; inopinatis mors lurida serpit in artus,
 Corripit & sensim vicinas halitus auras,
 Parua vbi spes, maiorq; metus, potiusq; magistra
 Arte malum, succi frustra miscentur, & herbæ:
 Aut cum luce furens media, grassatur in horas
 Tetrior hæc pestis, duplicatas æthere ducens
 Ardorum vires, Phœbiq; calentis ab æstu,
 Haurit adusta sitim, rapido simul igne medullas
 Decoquit, & subitis absunit pectora flammis:
 Cum superans feruore suo, prædataq; circum
 Infestat maria, ac terras, cumulataq; calcans
 Funera funeribus, magnos comportat acervos:

Tum

ODÆ

Tum si mille cadant, crescenti strage, sinistrum
 Ad latus, & si dena cadant tibi millia dextrum
 Aù latus, haud aliquo te tanget vulnere pestis.
 At si quos, nec cura Dei, nec iussa, nec ira,
 Sollicitant, Christiq; parant, excindere regnum,
 Extemplo aspicias informi occumbere letho,
 Maximus insurgens animis cum venerit ultor
 Auxilio, pœnasq; inimica à gente reposcet.
 Hæc spes, hæc dubijs restant solatia rebus.
 O animæ tutela meæ, columenq; salusq;
 Res inopes solare Deus, tutoq; repostos
 Siste loco. quali, validis cum cingitur armis,
 Perstat inaccessæ, moles altissima, rupis:
 Quò mala non penetrent: nec quæ, scelera impia, pœnæ
 Sectantur; non sæua manu Bellona flagellum
 Sanguineum quassans, non hanc comitata Sororem
 Acta Fames rabie, nec amaro funere Pestis.
 Nam Deus aligeros cœli de sede ministros
 Mittet, deq; tua dabit his mandata salute,
 Ut, quocunq; tuæ, iussus, vestigia plantæ
 Verteris, assistant vigiles, dominosq; volentes
 Obseruent nutus: curuis vbi scrupæa verò
 Extant saxa iugis, atq; horrent antra rubetis,
 Sublatum placidè manibus per inhospita, gestent
 Te loca, ne silici pes illidatur acuto,
 Secisumq; viæ per tot discrimina ducant,

Con-

LYRICÆ.

Coniurata quibus nos cœlum & terra fatigant.
 Tum quoq; fulua premes deuicti terga Leonis,
 Desuper insistens pedibus, non aspidis atræ
 Lingua trifulca tibi, non cauda retorta nocebit,
 Sed fera colla teres, magnumq; impunè Draconem,
 Virus & in vacuas indignans expuet auras.
 Hæc equidem ressonsa dedit regnator Olympi,
 Quisquis amans me corde piq; suspirat & ardet,
 Hunc Deus ipse meo dignabor amore vicissim,
 Cum petet auxilium, medijs seruabo periclis.
 Qui mihi sacra piè facit, & tutatur honores
 Ritè meos, hunc pace tegam, tutoq; locabo:
 Cumq; preces, gemitusq; dedit, mox haurio prompta
 Aure preces, gemitusq; datos: humerisq; labores
 Ipse subibo meis, casus solabor acerbos,
 Orbis & ereptum monstris, formidine soluam,
 Ut superans virtute mea, decora alta reportet:
 Doq; meis vitam longos, & seruo per annos,
 Deniq; de cœlo Natum, qui missus in orbem,
 Meq; voluntatemq; meam, pectusq; reuelet,
 Ostendatq; viam, qua sola sidera aditis.

Hymnus

ODÆ
HYMNVS
MARIÆ VIRGI-
NIS, MATRIS FILII DEI,
Lucæ I. Cap.

Eia age, nunc Dominum summis age laudibus effere
Vis animi, & quicquid corporis òne mei est.
Feruida diuino saluunt mihi pectora motu,
Leticiamq; nouam Spiritus intus agit.
Inq; Dei Nato gaudens ego tota quiesco,
Qui mea, qui mundi totius, vna salus.
Me famulam, pressamq; diu, misereq; iacentem,
Respexit medio, gratia dia, polo.
Nascetur, Sator ipse mei, me matre sub auras,
Non quia digna sui, sed quia vilis eram.
Illius en merito felix, dotatq; regno,
Iam feror. Eois, Hesperijsq; plagis.
Magna adeo benefacta Deus, mirandaq; confert,
Solut & arbitrij iura potentis habet.
Seq; reuelari, Nato monstrante, per orbem
Dat Pater, & sanctè mandat, in orbe, coli.
Iam redit affulgens puro clementia cœlo,
Et flagrat summi corde parentis Amor.
Transit hic in seros, patrum de stirpe, nepotes,
Qui Dominum metuunt, accipiuntq; Fide.
Exerit

LYRICÆ

Exerit at vires, robustaq; brachia tollit,
Irata iaculans fulmina sæpe manu.
Sternit & inuisos cælo, terræq; molestos,
Semper adest sceleri proxima pœna comes.
Elatis animum confundit & eripit omnem,
Ferre nequit fastu turgida corda Deus.
Deturbat sol o, spoliatq; decore Tyrannos,
Regia dans humiles sceptrâ tenere manu.
Præbet opum cumulos, & egenis horrea complet,
Cum queritur vacuos diues ubiq; lares.
Omne simul fidi, Deus, alleuat, Israëlis,
Seruat & ereptum clade, fouetq; genus,
Dulcis enim patriæ, subijt pietatis imago,
Orbis & immenso victus amore fuit.
(Sic prisois memorabat auis) animoq; recursat
Cura pÿ generis, Thariadæq; patris.
Non Domini ambiguo ludunt oracula sensu,
Sed facit is certam rebus adesse fidem.

DE PROPHETA REGIO DAVIDE

Ad Iob. Holmannum.

Vnus homo, sancti qui Flaminis actus ab aura est,
Rex sceptro, Vates ille potens cithara:
Vnus homo, duro leges Adamante notatas,
Promissam & Sobolem, versaq; fata canit.

Non

E

Ō D Æ

Non mihi Threiciæ numeros testudinis optem,
Quam liquidus quondam vexerat Hebrus aquis:
Si datur ad vitreas riui mihi Cedronis vndas,
Isaidæ dulces obstupuisse modos.
Ne demens igitur Dirceum confer olorem,
Sanctior hunc Cygnum, maior & aura leuat.
Non mulcet tantum ille feras, & saxa canendo,
Sed supera modulans elicit arce Deum.
Oscula promisso libans & dulcia Nato,
Latitia afflatu corda resecta rigat.
Dum tamen hæc ipsis Holmanne ex fontibus hauris,
Iam propior magna mente, animoq; Deo es.

FINIS.

Mug MA 146

(1)


ULB Halle
003 568 199

3



Sb.

Z



Decorative border with floral and scrollwork patterns.

